Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2619
Quelle:
Copyright:

tur vniuersitati nostre viennen. ex bijs que in facto verisimiliora hucusque audivit et in Iure noscere potuit, Concilium Basilien. nondum esse dissolutum &c. In eandem cum praecedente sententiam, non tamen expresso Autoris nomine, qui concludit: *Ideo omnino videtur, quod difficultates ecclesie tolli non possint ad presens nisi in sacro Basilien. Concilio, cum nec ipsum transferri possit eo nolente, nec aliud queat institui eo existente.* Utrumque Scriptum *Mitterndorfero* defuisse videtur.

XVII. *fol.* 154. Tractatus de Emtione, Venditione et usuris initio truncatus et ab his verbis incipiens: *vsus ex hoc ipso conceditur res et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium* &c. Ultima sunt: *Item fraus et dolus nulli patrocinari debent.* Casuum resolutione pro foro Conscientiae potissimum constat.

XVIII. *fol.* 160. p. 2. *De modo predicandi et Colligendi.* Initium: *Volens colligere sermones collaciones aut tractatus potest obseruare subscriptos speciales octo modos. Primus est dictus diffinicio* &c. Adjumentum istud satis tenue ad calcem descriptum dicitur: *Colonie ex libraria minorum.*

DCLXXXIV.

482 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 365. 4. currenti varioque calamo conscriptus Sequentia complectitur: I. Tractatum brevem de Consanguinitate, Affinitate et cognatione Spirituali, hoc initio: *Videndum est de Consanguineitate de qua libro 4° decretalium capitulo 14. et primo quid linea dein quid gradus* &c. Autor tacetur.

II. *fol.* 9. *Vtrum omnis veritas sit paris auctoritatis cum qualibet.* Responsum: *Videtur quod sic. nam omnis veritas, in quantum huiusmodi, est verum dictum* &c. Ad *Joh. Wicleffum* pertinere hoc Excerptum docet ἐπιγραφη: *W. de veritate* c. 14. sed non continetur in Tractatu ejus Theologico *de Veritate S. Scripturae*, neque in *Speculo milit. Ecclesiae*, in quo *Veritas* et *Mendacium* colloquuntur; itaque ad Tract. logicum *de Veritate et Mendacio*, quem *Baleus* et *Tannerus* citant, referri debebit.

III. *fol.* 11. Loci Theologici in Alphabetum digesti, quorum primus *Absolutio*, hoc initio: *Dominus noster ihesus christus dixit beato petro* &c. Ultimus *zelus. zelum bonum inflammet caritas* &c. Omnia ad Scholam *Wicleffi* adcommoda, cujus Opera saepius citantur.

IV. *fol.* 63. Alii Loci Theologici, inprimis Pontificum Rom. Ἀντιθεσις cum Deo, Praeceptis divinis, et Christo, dein multa de Ecclesia et Sacramentis. Omnia ita in chartam conjecta, ut inde aut Sermonibus ad Populum, aut Disputationibus scholasticis, aut conscribendis etiam Libris servire potuerint. Penus fortasse ipsius *Hussi*, aut *Hieronymi Prag.* aut *Petri Anglici*, aut *Jacobelli*, si manus adgnosci quiret.

V.